



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Venerabilis Patris Thomæ à Jesu ... Opera Omnia

Homini Religioso Et Apostolico Tam Qvo Ad Vitæ Activæ, Qvam Contemplativæ functiones utilissima, Duobus Tomis Comprehensa. In Qvibvs Singvlari Pietate, Varia Ervditione Clariori Et Breviori Stylo Continentvr Et Explicantvr ...

Tomás <de Jesus>

Coloniæ Agrippinæ, 1684

Ordo servandus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38601

DE PROCURANDA CONVER- SIONE OMNIUM GENTIUM

LIBER VII.

De unione totius Orientalis Ecclesiæ cum Ecclesia
Catholica procuranda.

Ordo servandus.



HActenus in prima huius operis parte, de his quæ agenda sunt pro ju-
vandis Græcis, alijsque Schismaticis tractavimus, proximè sequun-
tur schismatici Orientales, qui abhinc mille annis in hodiernum
usque diem in maxima versantur infelicitate, perpetuisque vexan-
tur infortunijs & calamitatibus: & licet olim ingens fuerit tam
Alexandrinæ quam aliarum Ecclesiarum Orientis gloria & splen-
dor, at ubi Concilium Calcedonense, sanctumque *Leonem* Pontificem, ac Roma-
nam sedem omnium matricem Ecclesiarum spreverunt, innumera secuta sunt cla-
des, quæ abhinc tot sæculis usque ad nostra tempora communi cum dolore pio-
rum omnium cernuntur. His igitur tanquam nationibus olim florentissimis, qua-
rum præcipui patres Ecclesiam Catholicam insigniter illustrarunt, meritò post Græ-
cos debetur hic locus, in quo tam de erroribus & ritibus, quam de alijs pro juvan-
dis his nationibus, & ad rectam fidem, mutuaque charitatem inter nos statuen-
dam DEO inspirante dicemus; observato tamen hoc ordine, ut de origine Schisma-
tum totius Orientis prima statim fronte agamus, & post, ad Nestorianorum, Coph-
torum, Abyssinorum (quos non immeritò Orientalibus nationibus annumenta-
mus, parent enim Alexandrino Patriarchæ) Jacobitarum, Armenorum, Georgi-
anorum, & Maronitarum (qui nunc Ecclesiæ Romanæ obediunt) errores, ritus, &
alia, quæ pro harum nationum exactiori notitia, utilitate, & salute conducere pos-
sunt descendamus.

Demum de omnibus erroribus, qui hujuscemodi populis communes sunt, eo-
rumque confutatione, atque etiam in genere de agendi modo cum illis, ut fidei
veritatem agnoscant, differemus, additis quibusdam instructionibus ad hunc finem
utilissimis. Et quia omnes propemodum nationes istæ Græcorum erroribus sca-
tent, Lectorem ad supradicta, quæ contra Græcos allata sunt remittimus; insuper
pro majori ministrorum informatione, decisiones aliquot, sive responsa à *Gregorio*
XIII. pro Maronitarum natione edita, quæ maximam lucem in juvandis Schisma-
ticis conferre possunt, in huius libri calcem reiecit.

In referendis aliquibus præfatarum nationum erroribus, ac ritibus, sequemur
virum non minus pietate, quam doctrina insignem *Leonardum* Episcopum Sido-
niensem, quem *Gregorius XII.* summus Pontifex Nuntium, & Visitatorem Aposto-
licum simul cum Patre *Joanne Baptista Romano* Societatis *JESU* ad Orienta-
les nationes destinavit: Hic autem ferè totum lustravit Orientem, ac diversarum
nationum, ac rituum Patriarchas, Episcopos, virosque alios doctos allocutus, eo-
rumque Religionem & fidem, simulque errores attentè scrutatus, postea omnium
ferè illarum Ecclesiarum statum obtulit *Sixto V.* Pontif. Max. cum quadriennium
in ealegatione insumpserit: est autem apud me manuscripta narratio accuratè
conscripita, ubi Armenorum, Nestorianorum, Jacobitarum, & Maro-
nitarum errores, qui nunc inter has nationes
grassantur, recenset.